



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio V. De motione divina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati; intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi, Quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non peccati pœna, non utrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas... Tertium genus, ubi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona... Pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit & pœna peccati.

Hæc autem à S. Doctore dicuntur, non ut homini lapso subtrahat libertatem indifferentiæ circa bonum & malum; cum hanc illi libertatem expressè etiam hoc loco attribuat verbis superius laudatis; sed ad impugnandos errores Pelagianorum, negantium, 1. involuntarios concupiscentiæ motus ullo sensu peccata dici posse. 2. Aliam ignorantiam, præter affectatam, culpabilem esse, adeoque ulla dari peccata ignorantie. 3. Infantes ullam ab Adamo maculam contrahere, quæ reddantur Deo exosi, eosque aliter nasci, quam conditus fuerit primus homo.

Dices. Atqui S. Augustinus definitionem illam, quam lib. de duabus anim. c. 11. tradiderat, restrinxit hoc lib. 1. operis imperfecti, quia putavit, nullam in præsentis statui homini superesse libertatem indifferentiæ circa bonum & malum. Ergo, &c. Neg. aut. Probabis. Nam S. Doctor inferius post multas paginas loquens de eadem definitione, sic ait n. 104. & 105. *Ista definitio peccati ejus est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam pœna peccati, quæ perit libertas non peccandi: à quo malo non liberat nisi ille, cui non tantum dicimus, Dimitte nobis debita nostra; verum etiam, Et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Multum erras (Juliane,) qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.*

R. Ex his verbis nihil sequi pro Novatoribus. Itaque juxta S. Doctorem, per peccatum Adæ perit libertas non peccandi, non simpliciter, sed qualis fuit in paradiso; quia per peccatum Adæ, quod hic S. Doctor vocat ineffabiliter grande peccatum, duplex quo Adamus in paradiso catuit, malum, ignorantie scilicet & infirmitatis, incurrimus. Unde orta in nobis est, 1. necessitas propria & physica peccandi improprie, per repentinos & non voluntarios concupiscentiæ motus. 2. Necessitas consequens peccandi improprie, per ignorantiam culpabilem, utpotè saltem indirectè volitam. 3. Necessitas impropria & moralis peccandi improprie propter inestinatam carnis rebellionem, donec à concupiscentiæ dominatu liberemur per beneficium justificationis, & auxilia ei annexa. Hæc autem moralis necessitas non est nisi magna difficultas resistendi rebellanti concupiscentiæ, & tanta, ut ei in omnibus & ferè omnibus turpiter cedamus, quamvis liberè, & absque antecedenti ad unum determinatione intrinseca, donec per majora illa & frequentiora auxilia robaremur, quæ iustis & amicis Dei reservata sunt, & quibuscum facile vincitur refrænata concupiscentia. Ab hac autem triplici necessitate immunis fuit primus homo in statu innocentie, in quo & caro perfectè subiecta erat spiritui, & ultro sese illi ingerebat id quod appetendum vel vitandum erat in agenda vita. Unde & nullum habere poterat peccatum improprie dictum, & omni omnino peccato improprie dicto summa quadam facilitate carere poterat. En libertas non peccandi, quam juxta S. Doctorem, per Adami peccatum amisimus, & quam non recuperamus, quantum ad immunitatem à morali necessitate peccandi improprie, nisi per gratiam illam, qua concupiscentiæ superiores efficiuntur, & ab ejus dominatu liberamur, quamque perimus ab eo, cui non tantum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra; verum etiam, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Simonnet Thel. Tom. 6.

Dices denique. Quid ergo sibi volunt hæc S. Doctoris verba lib. contra Fortunatum disp. 2. *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* R. S. Doctorem nomine liberi arbitrii hic intelligere, non præcisè libertatem agendi vel non agendi, sed libertatem sanam & robustam agendi vel non agendi, quacum primus homo in statu innocentie magna cum facilitate poterat, si vellet, servare mandata divina. Hanc autem libertatem rectè dicit nos amisisse, & in oppositam illi necessitatem præcipitatos esse per peccatum primi hominis. Quæ necessitas non potest esse, nisi necessitas impropria & moralis peccandi, & mandata divina transgrediendi. Necessitas enim opposita facilitati, non est nisi impropria & moralis necessitas, seu magna quædam difficultas faciendi vel omittendi aliquid. Confirmatur ex eo quod Sanctus Doctor hic necessitatem, in quam ait nos incidisse propter peccatum Adami, comparat cum necessitate, quam affert inveterata consuetudo peccandi, putà jurandi. Hæc autem necessitas non est nisi moralis & impropria: potest enim cum divinæ gratiæ auxilio vinci.

DISPUTATIO V.

De motione Divina.

ARTICULUS I.

Utrum Deus physice prædeterminet voluntatem ad actus illos, qui liberi dicuntur, & possunt esse meritorii vel demeritorii.

NOta. Physica prædeterminatio, ut eam describit Prædeterminantium recentissimus, est aliquid physicum, à Deo & creatura realiter distinctum, à Deo in creatura independenter ab ipsa realiter impressum, quo creatura physice prædeterminatur ad agendum, hoc est, ita ad actionem applicatur, ut contradictionem implicet, motionem illam existere, & creaturam non agere. Non est autem propriè qualitas, quia non habet esse fixum & permanens, sed tantum aliquid reducibile ad qualitatem, quatenus per eam responderi potest, qualis sit res, non quidem permanentè, sed fluenter & transeunter; est enim quoddam ens diminutum, incompletum, fluens & in motu, virtuosum tamen & activum, sicque virtuosum & activum, ut, eo posito, non possit non esse actio creaturæ, imò simpliciter repugnet non esse creaturæ actionem; quia videlicet ex se & essentialiter cum actione creaturæ connexum est. His præsuppositis, respondeo voluntatem non prædeterminari physice à Deo, quantum ad actus illos, qui liberi dicuntur, & sunt meritorii vel demeritorii. Quæ responsio probabitur sequentibus paragraphis. Sit itaque

§. I.

Probatur responsio nostra ex inutilitate physica prædeterminationis.

Si necesse est voluntatem physice prædeterminari ad actus liberos, vel quia non potest aliter salvari ratio causæ primæ in Deo, & causæ secundæ in voluntate; vel quia hoc exigit perfectum Dei dominium in voluntatem; vel quia voluntas propter indifferentiam non potest exire in actum, nisi ab alio agente extrinseco physice prædeterminetur ad agendum. Atqui nihil horum dici potest. Ergo, &c.

Non primum. Nam ad salvandam in Deo rationem

Aa 3 cau.

causa primæ, & in voluntate rationem causa secundæ, sufficit, quod Deus ita cum voluntate operetur simul similitate temporis, ut prius prioritate naturæ operetur, quam ipsa. Hoc ipso enim intelligitur voluntas subordinari Deo in operando; quod salvat in Deo rationem causa primæ, & rationem causa secundæ in voluntate. Atqui ad hoc ut Deus ita simul tempore operetur cum voluntate, ut natura prius operetur, quam ipsa, necesse non est, ut illam physicè prædeterminet; ut patet ex infra dicendis: nam suo loco ostendimus, rejecta prædeterminatione physica, Deum ita cum voluntate operari, ut operetur natura prius, quam ipsa operetur. Et verò prædeterminare physicè non est præcisè operari natura prius, sed aliquid amplius: est enim natura prius operari tali modo, ut voluntas antecederet obligetur ad alteram partem contradictionis; qui modus nullatenus necessarius est, ut Deus dicatur operari, & operetur natura prius, quam voluntas. Ergo, &c.

Non etiam secundum. Nam cum aiunt adversarii prædeterminationem physicam requiri ad perfectum Dei dominium in voluntatem, vel loquuntur de dominio morali, quale habent homines in bona sua; vel de dominio physico, quale voluntas ipsa habet in alias potentias sibi subiectas. At qui neutrum dominium, etiam ut sit perfectissimum, requirit prædeterminationem physicam. Ergo, &c. Minor pater de dominio morali. Nam dominium morale perfectum est jus utendi re aliqua, fructus ejus percipiendi, & de ea disponendi pro arbitrio, absque alterius injuria, & ulla ab alio dependentia. Tale autem jus in Deo circa voluntatem intelligitur, seclusa prædeterminatione physica; nec Deus prædeterminatione physica indiget ad exercendum jus illud in voluntatem, eam conservando vel destruendo, actus ejus imperando vel prohibendo, illam & actus illius ad quos voluerit fines dirigendo & adhibendo.

Facile etiam probatur minor de dominio physico. Nam hoc ipso intelligitur Deus habere dominium physicum perfectum in voluntatem, quod habet potentiam certò & infallibiliter movendi & applicandi voluntatem in quibuslibet circumstantiis ad operandum id, quod voluerit illam operari. Atqui seclusa prædeterminatione physica, adhuc Deus intelligitur habere potentiam illam perfectissimam, hoc ipso scilicet quod intelligitur esse infinite sapiens, & consequenter non posse non habere in thesauris sapientiæ suæ media, quantumvis ex se repudiabilia, & cum negatione actus, ad quem dantur, compossibilia, quibus tamen, si ea velit adhibere, fines à se effiaciter intentos certò & infallibiliter assecutus est. Ergo, &c.

Non denique tertium. Nam voluntas non est indifferens ad agendum vel non agendum, ex imperfectione & defectu virtutis ad agendum; sed ex perfectione & eminentia virtutis, vi cuius ita potentiam habet agendi, ut actus, quem producere potest, domina sit, & consequenter possit illum pro arbitrio producere vel non producere. Atqui quod sic est indifferens ad agendum vel non agendum, non indiget alio agente extrinseco, à quo ad agendum physicè prædeterminetur; quia quod sic est indifferens ad agendum vel non agendum, vim habet se ipsum determinandi. Ergo, &c. Nec dic illud, quod sic est indifferens ad agendum vel non agendum, habere quidem vim se ipsum determinandi ad agendum, sed sub alio ipsum ad agendum prædeterminante. Nam habere vim se ipsum determinandi ad agendum sub alio ad agendum prædeterminante, esset simul habere & non habere vim se ipsum determinandi ad agendum: quod manifestam involvit contradictionem. Et verò quod aliquid ita vim habeat se ipsum determinandi, ut non possit se determinare, nisi sub alio ipsum adjuvante ad se determinandum, imò & præveniente atque præparante ipsum, quomodo ei congruit, ut se determinet, nullam habet repugnantiam, & facile intelligitur. At quod aliquid ita vim habeat se ipsum determinandi, ut non possit se determinare, nisi prius ab

alio determinetur, est prorsus intelligibile & repugnans. Nam si habet vim se determinandi, quomodo indiget ab alio prædeterminari? & postquam ab alio determinatum est, quomodo adhuc potest se determinare; cum se determinare ad aliquid agendum, non sit præcisè, illud agere; sed sit illud agere sine ulla, undecumque proficiatur, ad illud agendum antecedenti obligatione.

§. II.

Probatur 2. responsio ex eo, quod in hypothesis prædeterminationis physica voluntas nunquam libere omittat.

Illud agens non omittit libere, sed necessariò, quod ex impotentia agendi, non verò ex intrinseca potestate & dominio in actum, actum omittit. Atqui in hypothesis prædeterminationis physica, cum voluntas non agit, ex impotentia agendi actum omittit: tunc enim caret virtute aliqua activa, sic ad agendum necessaria, ut, ea non posita, repugnet esse actionem: nam caret physica ad agendum prædeterminatione, quæ secundum adversarios talis virtus est. Ergo, &c. Hinc

Collige, in hypothesis prædeterminationis physica nullam omissionem imputari posse voluntati. Sit unum pro omnibus exemplum. Titius hic & nunc iudicat se teneri ad eliciendum actum charitatis, ad quem per interiorum gratiam prævenientem excitatur, nec tamen eum elicit. Dico quod hæc omisso non possit imputari Titio in hypothesis Prædeterminantium. Ratio est, quia in hac hypothesis Titius caret virtute aliqua activa, nempe physica prædeterminatione, ita ad eliciendum actum charitatis necessaria, ut ea non posita, repugnet esse actum charitatis; sicque Titius charitatis actum omittit ex mera impotentia illum eliciendi, & consequenter illum non libere, sed necessariò non elicit.

Dices. Titius in casu proposito, etiam in hypothesis Prædeterminantium, habet potentiam completam ad actum charitatis. R. neg. Nam in hypothesis Prædeterminantium Titius caret virtute aliqua, ita ad actum charitatis necessaria, ut ea non posita, repugnet esse actum charitatis. Sed qui caret tali virtute, nec censetur, nec censeri potest in æstimatione prudenti habere completam ad actum charitatis potentiam, talem, qualis requiritur ad hoc, ut actus charitatis omisso imputari possit ad culpam & penam.

Nec juvat adversarios id, quod dicunt, physicam scilicet prædeterminationem non se tenere ex parte actus primi; nam etiam dato quod se teneat ex parte actus secundi tantum, vel quod sit tantum via actus primi ad actum secundum, cum sit virtus quedam activa, ad actum charitatis absolute necessaria, & ea caret Titius in casu proposito; semper manet Titium in casu proposito carere virtute aliqua activa ad actum charitatis absolute necessaria, proindeque eam non habere ad actum charitatis potentiam, quæ in æstimatione morali requiritur ad justam omissionis imputationem.

At inquires. Titius in casu proposito non habet quidem virtutem illam activam, ad actum charitatis adeò necessariam: at, quod sufficit, in potestate illius est, ut eam habeat. R. neg. Nam si in potestate illius est, ut eam habeat, quæro quare non habeat?

Respondetis 1. Titium non habere in casu proposito prædeterminationem, quia non finit se prædeterminari. Sed contra est, quia non finit se prædeterminari, aut nihil est, aut nihil est aliud, quam Deum prædeterminare paratum impediri ne prædeterminet. At Titius in casu proposito quid facit, vel omittit, quo impediatur Deum, ne ipsum prædeterminet ad actum charitatis? Nihil.

Respondetis 2. Titium in casu proposito non accipere prædeterminationem, quia non consentit gratiæ excitanti ad actum charitatis. Sed contra est. Nam consentire gratiæ excitanti ad actum charitatis, non est aliud, quam elicere actum charitatis sub gratia ad illum excitante, & ad illum eliciendum vires subministrare.

frante. Ergo, secundum responsum hanc, Titius non accipit prædeterminationem physicam ad actum charitatis, quia non elicit actum charitatis. Ergo si eliceret actum charitatis, acciperet prædeterminationem physicam ad actum charitatis, & ideo acciperet prædeterminationem physicam ad actum charitatis, quia eliceret actum charitatis. Atqui hoc est manifeste absurdum. Nam, ut docent adversarii, prædeterminationis physica ad actum charitatis debet dari Titio saltem natura prius, quam eliciat actum charitatis: alioqui simul esset & non esset prædeterminationis ad actum charitatis. Quod implicat.

Respondet 3. Titium non accipere prædeterminationem physicam ad actum charitatis propter impedimentum præsens quod ipse liberè ponit, & consequenter sibi imputare debere, quod illam non accipiat. Sed quæro, quodnam sit illud impedimentum præsens quod Titius liberè ponit in casu proposito? Certè si est aliquid ejusmodi impedimentum in casu proposito, vel est aliquis actus malus, vel ommissio alicujus actus boni. Neutrum potest dici. Non primum. Nam, ut supponitur, in casu proposito nihil agit, sed purè omittit. Quam sanè suppositionem non negabunt adversarii, qui omissionem puram liberam propugnant. Non etiam secundum. Alioquin assignent omissionem illam, propter quam Titius non accipit prædeterminationem physicam ad actum amoris. Certè videntur non aliam assignare posse præter omissionem consensus salutaris dandi gratiæ excitanti. At dici non potest, quod Titius non accipiat prædeterminationem physicam ad actum amoris propter omissionem hujus consensus. Cum enim consensus salutaris dandus gratiæ excitanti ad actum charitatis, realiter sit ipse actus charitatis, ommissio illius re ipsa non est aliud, quam actus charitatis ommissio. Non potest autem dici, quod Titius non accipiat prædeterminationem physicam ad actum charitatis propter ipsius actus charitatis omissionem, ut manifestum est ex dictis ad 2. responsum.

Respondet 4. Titium non accipere physicam prædeterminationem ad actum charitatis propter impedimentum antecedens, nempe propter peccatum originale. Sed contra est; quia sic respondendo, non ostenditur quomodo in potestate Titii sit physica prædeterminatio ad actum charitatis, & sic adhuc manet tota difficultas insoluta.

At inquit. Propter peccatum originale, Titius sibi imputare debet, quod non accipiat physicam prædeterminationem ad actum charitatis. Ergo peccat omittendo actum charitatis. *R. neg. conseq.* Nam, etiam dato, quod Titius propter peccatum originale imputare sibi debeat, quod physicam prædeterminationem ad actum charitatis non accipiat, nihilo plus in ejus potestate est, ut illam habeat, & sic adhuc non liberè, sed necessariò omittit actum charitatis, proindeque omittendo peccare non potest.

Respondet denique 5. Deum esse paratum ex se, ad dandam Titio physicam prædeterminationem ad actum charitatis, & consequenter Titium, si non illam habet, sua aliqua culpa non habere, sicque sua culpa aliqua necessitatem omittendi actum charitatis incurrere. Sed contra est; quia perperam dicitur Deum ex se paratum esse, ad dandam Titio prædeterminationem physicam ad actum charitatis, nisi etiam ostendatur, quomodo in potestate Titii sit, ut illam prædeterminationem accipiat à Deo, ad eam dandam parato. Hoc autem non ostendunt adversarii.

§. III.

Probatur responsio nostra ex eo quod in hypothesi Prædeterminantium nullus esse videatur positivus libertatis usus.

Supponamus Titium hic & nunc judicare, quod teneatur ad eliciendum actum charitatis; dico quod in hypothesi Prædeterminantium, aut non eliciat actum charitatis, aut eliciat necessariò. Nam sic arguor. Titius in hypothesi Prædeterminantium non potest in

Simonet Theol. Tom. I.

casu proposito se ipsum determinare ad amandum. Ergo, &c. *Probo ant.* Nam si potest, vel antequam accipiat motionem prædeterminantem ad amorem, vel postquam accipit. Neutrum dici potest. Non primum; alioqui talis motio esset inutilis. Non etiam secundum. Postquam enim accipit motionem illam, ita per eam ad amandum antecedenter, & independenter ab omni exercitio libertatis suæ, obligatus est, ut simpliciter repugnet illi non amare. Sed qui sic ad amorem obligatus est, non potest se ipsum determinare ad amorem; nam se ipsum determinare ad amorem, nec est, nec esse potest aliud, quam absque antecedenti ad amandum obligatione intrinseca, amare, aut velle amare. Et verò se ipsum determinare ad amorem, non est præcisè amare, aut velle amare, non est etiam præcisè amare sponte, aut sponte velle amare; superest igitur ut sit, amare aut velle amare absque antecedenti ad amandum obligatione intrinseca; vel, si vis, quod eodem redit, ut sit amare, aut velle amare cum potentia non amandi expedita & soluta ab omni ad non amandum impedimento. Ergo, &c.

Dices 1. Cum Titius accipit motionem ipsam prædeterminantem ad amorem, seipse determinat ad amorem. Ergo tunc habet potentiam se ipsum determinandi ad amorem. *R. neg. ant.* Nam cum accipit talem motionem, antecedenter & independenter ab omni exercitio libertatis suæ per eam saltem natura prius, quam amet, obligatur ad amandum, & ita obligatur, ut simpliciter repugnet eum non amare. Ergo amat, non quia ipse se determinat, sed quia ad amandum à Deo jam determinatus natura prius, quam velit amare, & amet, non potest non amare.

At inquit. Motio illa se tenet ex parte actus secundi. Ergo sub illa Titius se determinat. *R. neg. conseq.* Nam, etiam dato quod motio illa se teneat ex parte actus secundi, nihilominus verum est, quod Titium natura prius, quam amet, obliget ad amorem, & ita obliget, ut simpliciter repugnet illi non amare. Titium autem sic obligatum ad amorem, se ipsum determinare ad amorem, implicat contradictionem in terminis.

Dices 2. Titius sub motione ad amorem prædeterminante, habet indifferentiam judicii: nam motio illa non obstat, quominus objectum partim sub ratione boni, partim sub ratione mali, ab intellectu proponatur voluntati. Ergo Titius sub illa motione se ipse determinat ad amorem. *R. neg. conseq.* Nam ad hoc ut Titius se ipse determinet, non sufficit indifferentia judicii in intellectu, sed præterea requiritur immunitas ab antecedenti ad unum obligatione in voluntate. Hanc autem immunitatem non habet, nec habere potest sub motione ad amorem prædeterminante.

At inquit. Manente indifferentia judicii, non potest voluntas necessitari. Ergo nec antecedenter ad unum obligari. *R. voluntatem non posse tunc necessitari ab objecto, sed posse necessitari à motione recepta in ipsa, & qua posita in voluntate independenter à voluntate, repugnat voluntatem non agere.* Cum autem dicit S. Thomas voluntatem, quandiu manet indifferentia judicii, non necessitari, supponit, quod voluntas nunquam ad unum prædeterminetur à Deo, quandiu manet hæc indifferentia.

Dices 3. Motio ad amorem prædeterminans applicat tantum voluntatem ad actum. Item tantum tollit indifferentiam passivam voluntatis. Item imprimat voluntati delectationem. Item sub illa motione Titius retinet potentiam agendi & non agendi, & aliud agendi. Item sub illa motione voluntas conservat suam universalitatem, & amplitudinem virtutalem. *Ad 1. R. neg.* Nam non solum applicat, sed etiam sic applicat voluntatem ad actum, ut natura prius, quam agat, simpliciter repugnet illi non agere, & ita sic applicat illam ad actum, ut illam antecedenter obliget ad alteram partem contradictionis. *Ad 2. R. neg.* Nam etiam antecedenter ligat & impedit indifferentiam activam. *Ad 3. R.* inde tantum sequi, quod voluntas sub illa motione sponte velit

Aa 4

& agat.

& agat. *Ad 4.* R. Titium sub illa motione retinere potentiam agendi & non agendi, & aliud agendi, cum retineat totam voluntatis substantiam; sed potentia illa est antecedenter ligata & impedita. *Ad 5.* R. inde sequi tantum, quod voluntas Titii sub illa motione retineat libertatem remoram & radicalem.

Dices 4. Deus est omnipotens. Ergo potest voluntatem Titii ita ad amorem physice prædeterminare, ut eam tamen non obliget antecedenter ad hunc actum. R. neg. conseq. Nam ex eo quod Deus sit omnipotens, non sequitur, quod possit repugnantia. At pugnant inter se, voluntatem Titii ad amorem physice prædeterminatam esse, & tamen non esse antecedenter obligatam ad amorem, ut patet ex dictis supra.

At inquires. Cum Deus sit omnipotens, potest voluntatem Titii per motionem physice prædeterminantem applicare ad actum amoris secundum exigentiam quam habet, ut est facultas electiva. R. neg. Nam Deus, quia est omnipotens, potest quidem quamlibet causam applicare ad actionem secundum exigentiam ejus, ac non potest per medium quodlibet; alioqui posset causam applicare ad actionem secundum exigentiam ejus per medium ejus exigentia contrarium; quod est absurdum. Dico autem, quod motio physice prædeterminans sit medium applicandi voluntatem contrarium ejus exigentia, quia electiva facultas est; quia motio physice prædeterminans ita voluntatem natura prius quam operetur, applicat ad operationem, ut simpliciter repugnet illam non operari, & consequenter ut sit natura prius quam operetur, obligata ad operandum, quam obligationem respicit facultas electiva, quia talis; quia quia talis, dicit immunitatem ab antecedenti ad alteram partem contradictionis obligatione intrinseca.

At inquires. Deus per suam omnipotentiam potest physicam prædeterminationem ita voluntatis, quia facultas est electiva, exigentia attemperare, ut illi consentanea sit. R. Deum hoc non magis posse, quam possit mutare essentias rerum. Essentia autem motionis physice prædeterminantis est, quod sit virtus quædam activa, causa saltem natura prius quam operetur, impressa, & cum actu ad quem datur, ita connexa, ut, ea posita, simpliciter repugnet actum non esse. Quod est, motionem physice prædeterminantem essentialiter esse obligativam antecedenter ad alteram contradictionis partem, & consequenter, essentialiter esse dissidentem exigentia voluntatis, quia electiva facultas est.

S. IV.

Probatum responso nostra autoritate Concilii Senonensis.

Concilium Senonense sic loquitur decreto fidei 15. *Neque tamen tanta gratie necessitas libero præjudicat arbitrio: cum illa semper sit in promptu... nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Unde sic argumentor. Ex Concilio Senonensi homo resistere potest motioni divinæ, quacum re ipsa bonum operatur. Atqui non potest resistere motioni physice prædeterminanti. Ergo ex Concilio Senonensi motio divinæ, quacum homo bonum operatur, non est motio physice prædeterminans. Quod est contra hypothesin Prædeterminantium, qui gratiam efficacem dicunt esse motionem physice prædeterminantem. Major autem patet; quia Synodus manifestè loquitur de ea motione divinæ, qua sic ad bonum trahitur voluntas hominis, ut illud re ipsa operetur. Minor etiam facile ostenditur. Homo non potest resistere motioni, cujus activitatem vincere non potest: nam resistere motioni, & ejus activitatem superare, sunt unum & idem. Atqui homo vincere non potest activitatem motionis physice prædeterminantis: hæc enim activitas est essentialiter connexa cum actu, ad quem homo movetur. Ergo, &c.

Dices 1. Concilium Senonense cum ait hominem posse resistere motioni divinæ, loquitur in sensu di-

viso, non in sensu composito. Potest autem homo in sensu diviso resistere motioni divinæ physice prædeterminanti, licet non possit in sensu composito. Ergo Synodus non adversatur hypothesi Prædeterminantium. R. neg. maj. & dico distinctionem sensus compositi & divisi hic locum habere non posse. Nam sicut repugnat, alicui resistere in sensu diviso; ita repugnat, alicui posse resistere in sensu diviso. Sicut enim resistere motioni, est motionis existentis & præsentis vim superare aut elidere; & sic resistere motioni, est conjungere cum motione negationem actionis, ad quam impellit motio; ita posse resistere motioni, est posse motionis existentis & præsentis vim superare aut elidere; proindeque posse resistere motioni, est posse conjungere cum motione negationem actionis, ad quam impellit motio. Unde utrumque, nempe & resistere, & posse resistere motioni, dicit essentialiter sensum compositum.

Confirmatur & declaratur amplius. Nam sicut actu resistere, est actu actionem unius agentis vinci ab actione alterius reagentis; & sic actu resistere, dicit actualem conjunctionem duarum actionum oppositarum, quarum una vincitur ab altera; ita posse resistere, est posse actionem unius agentis vinci ab actione alterius reagentis; & sic posse resistere, dicit possibilem conjunctionem duarum actionum oppositarum, quarum una superari posset ab altera. Igitur & actu resistere, & posse resistere, dicunt sensum compositum.

Dices 2. Homo sub motione ipsam physice prædeterminante retinet potentiam id, ad quod movetur, non facendi, si motione careret, & ab illa divideretur. Ergo homo potest resistere motioni ipsam physice prædeterminanti, non quidem in sensu composito, sed in sensu diviso. R. neg. conseq. Nam si ex antecedente sequeretur, quod homo posset dici aliquo sensu posse resistere motioni ipsam physice prædeterminanti, 1. puer verè & propriè diceretur posse resistere giganti, ipsum violentè trahenti: nam sub illa violenta gigantis tractione retinet potentiam non eundi, quò a gigante violentè trahitur, si abesset, vel cessaret violenta tractio gigantis. 2. Quilibet verè & propriè diceretur, sine gratia posse resistere tentationi, quantumvis gravi & diuturnæ; quia sub tentatione retinet potentiam non faciendi malum, ad quod inducit tentatio, si non tentaretur, aut à tentatione liberaretur. 3. Similiter quilibet verè & propriè diceretur, posse resistere cuivis antecedenti necessitati, quantumvis ineluctabili & insuperabili; quia sub illa necessitate retineret potentiam non faciendi id, ad quod necessitatur, si tali necessitate careret, aut ab illa eximeretur. Quæ tria sunt evidenter falsa & absurda, imò secundum contrarium est fidei.

Itaque posse resistere motioni, est posse conjungere negationem actionis cum motione ad actionem impellente. Nam in genere unum agens posse alteri agenti resistere, nihil aliud esse potest, quam unum agens posse alterius agentis virtutem, vel, si vis, actionem vincere, aut elidere: cum unum agens alteri agenti actu resistere, non sit aliud, quam unum agens alterius agentis virtutem seu actionem superare aut elidere. Quod ipsa vox, resistere, vel invitis obtrudit: hæc enim vox manifestè dicit pugnam duorum, quorum unum agit, & alterum reagit, & reagendo vincit, aut elidit actionem alterius. Unde hæc vox dicit duas actiones realiter coexistentes, unam in obliquo, nempe actionem aggentis, & aliam in recto, nempe reactionem aggressi, vincentis aut elidentis actionem aggentis.

Dices 3. Eiam supposita veritate hujus doctrinæ, adhuc homo resistere potest motioni ipsam physice prædeterminanti. Ergo, &c. R. neg. conseq. Nam quomodo posset homo conjungere cum illa motione negationem actus, ad quem datur illa motio: cum illa motio sit essentialiter connexa cum actu, ad quem datur, sic ut actum, ea posita, repugnet non esse?

At inquires. Non potest quidem homo conjungere negationem actus cum illa motione, spectata ut est virtus quædam omnipotentia divinæ, sub qua consideratio-
ne est essentialiter connexa cum actu; sed conjungere

po-

Probatur responsio nostra auctoritate Concilii Tridentini.

potest cum illa, spectata præcisè ut est ens, sub qua consideratione præscindit ab essentiali connexionem, quam habet cum actu. Sed contra est. Potentia illa conjungendi negationem actus cum motione physice prædeterminante ad actum, spectata ut est ens, est fictitia potentia. Quod facile ostendo. Illa potentia non est, nisi fictitia potentia, quam simpliciter repugnat ad actum reduci. Atqui talis est potentia, de qua agitur. Ergo, &c.

Prob. min. Nam si hæc potentia aliquando reduceretur ad actum, negatio actus conjungeretur non solum cum ratione entis, sed etiam cum ratione virtutis cujusdam omnipotentia divina, vi cuius motio physice prædeterminans essentialiter connexa est cum actu, ad quem datur: utraque enim illa ratio essentialis est motioni physice prædeterminanti, proindeque in motione physice prædeterminante sunt ab invicem prorsus inseparabiles. Atqui simpliciter repugnat negationem actus conjungi cum ratione illa virtutis cujusdam omnipotentia divina, quam præter rationem entis habet motio physice prædeterminans, & vi cuius essentialiter connexa est cum actu. Ergo simpliciter etiam repugnat negationem actus conjungi cum ratione entis, quam habet motio physice prædeterminans; quamquam hæc repugnantia non oritur ex ipsa ratione entis, sed ex ratione virtutis cujusdam omnipotentia divina, quæ in motione physice prædeterminante absolute inseparabilis est à ratione entis.

Brevius, & fortasse facilius. Potentia conjungendi negationem actus cum motione physice prædeterminante, spectata præcisè ut est ens, si tamen dici potest potentia, essentialiter conjuncta est cum vera & reali impotentia conjungendi negationem actus cum illa motione, quæ impotentia pro quacunque hypothese excogitabili essentialiter existit: cum enim nulla hypothesis possibilis excogitari possit, in qua motio physice prædeterminans non sit virtus quædam omnipotentia divina, essentialiter connexa cum actu, ad quem datur, nulla hypothesis possibilis excogitari potest, in qua non repugnet conjungi negationem actus cum illa motione. Atqui potentia essentialiter conjuncta cum tali impotentia, non est nisi fictitia & chimerica potentia. Ergo, &c.

At inquit. Motio physice prædeterminans, non quæ est ens præcisè, sed solum quæ est tale ens, seu talis virtus omnipotentia divina, repugnat esse cum negatione actus. Ergo datur vera & realis potentia conjungendi negationem actus cum motione physice prædeterminante, considerata præcisè ut ens est. *R. neg. conseq.* Nam ex antecedente sequitur tantum, quod vera & realis impotentia conjungendi negationem actus cum motione physice prædeterminante, non oriatur ex ratione entis, quam habet motio illa; sed ex ratione talis entis, seu talis virtutis, quam dicit supra rationem entis præcisè. Cum autem ratio talis entis, seu talis virtutis, sit essentialis motioni physice prædeterminanti, simpliciter repugnat cum motione physice prædeterminante conjungi negationem actus; & ita nec datur, nec dari potest, nisi vera & realis impotentia conjungendi negationem actus cum motione physice prædeterminante. Potentia igitur illa, quam asserunt adversarii, conjungendi negationem actus cum motione illa, considerata præcisè ut ens est, est fictitia & chimerica potentia.

At inquit. Imò verò negatio actus conjungi potest cum motione physice prædeterminante, etiam considerata ut est talis virtus omnipotentia divina, non quidem potentia consequente, futuritionis, & conjuncta cum actu, sed potentia antecedente, possibilitatis, & divisa ab actu. Sed quis non mirabitur talia typis mandari? *R. breviter,* potentiam essentialiter divisa ab actu, seu potentiam, quam ad actum reduci repugnat, qualis est ea, quæ hic asseritur, non possibilitatis, sed impossibilitatis esse potentiam.

Concilium sic loquitur sess. 6. Can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, neque posse dissentire, si velit anathema sit.* Quibus verbis Synodus definit, liberum hominis arbitrium posse, si velit, dissentire motioni, quacum bonum re ipsa operatur, hoc est, motioni seu gratia efficaci. Unde

Argumentor sic. Ex Concil. Trid. homo potest dissentire motioni efficaci. Atqui hoc non potest in hypothese Prædeterminantium. Ergo hypothesis Prædeterminantium videtur esse Concilio Tridentino contraria. *Probo min.* Secundum Prædeterminantes, motio seu gratia efficax consistit in virtute quadam activa, transeunte, essentialiter connexa cum consensu salutaris, sic ut, ea posita, simpliciter repugnet consensum salutarem non esse. Atqui homo non potest dissentire tali motioni. Ergo, &c. *Probo min.* Hominem posse dissentire motioni tali, esset hominem posse cum illa conjungere negationem consensus. Atqui homo hoc non potest. Ergo, &c. Minor per se clara est. *Probo igitur maj.* Posse dissentire tentationi, est posse conjungere negationem consensus cum tentatione, seu est posse negare consensum tentationi actu præsentis, & sollicitanti ad consensum malum. Item posse dissentire gratia sufficienti, est posse conjungere negationem consensus cum gratia sufficienti, seu posse negare consensum gratia sufficienti, actu præsentis, & ad consensum salutarem excitanti. Ergo similiter posse dissentire motioni ad consensum physice prædeterminanti, est posse conjungere negationem consensus salutaris cum illa motione, seu posse motioni illi, actu præsentis, & ad consensum salutarem prædeterminanti, negare consensum salutarem. Utramque partem antecedentis admittunt adversarii; dent igitur disparitatem.

Præterea, dissentire motioni illi, esset actu conjungere negationem consensus cum illa actu præsentis & existente: sicut dissentire tentationi, est actu conjungere negationem consensus cum tentatione actu præsentis & existente: sicut etiam dissentire gratia sufficienti, est actu conjungere negationem consensus cum gratia sufficiente actu præsentis & existente. Ergo posse dissentire motioni illi, est posse conjungere negationem consensus cum motione illa, actu præsentis & existente. Hæc autem conclusio, supposita veritate antecedentis, quam evidenter suadent allata exempla, tam clara est, quam ista: Mentiri, est loqui contra mentem: Ergo posse mentiri, est posse loqui contra mentem. Igitur posse dissentire virtuti activæ, essentialiter connexæ cum consensu salutaris, est posse cum illa conjungere negationem consensus salutaris. Atqui hoc evidenter repugnat. Ergo evidenter repugnat, hominem posse dissentire virtuti, cum consensu salutaris essentialiter connexæ. Quod fuit probandum.

Dices. Concilium definiens hominem Deo moventi & excitanti dissentire posse, si velit, loquitur in sensu diviso, & solum declarat hominem sub motione & excitatione divina retinere potestatem non eliciendi actum, ad quem movetur & excitatur; immò & eliciendi actum contrarium, si motio illa abesset, & ab ea divideretur. Sed contra est, 1. Quia distinctio sensus compositi & divisi locum hic habere non potest. Nam dissentire, ut jam ostensum est, est conjungere negationem consensus; & sic posse dissentire, est posse conjungere negationem consensus cum motione ad consensum impellente. Unde utrumque, nempe dissentire & posse dissentire, dicit essentialiter sensum compositum.

Contra est, 2. Quia ex data responsione multa sequuntur inconvenientia. 1. Enim sequitur, quod Concilii definitio sit plane inutilis. Nam nemo unquam in dubium revocavit, hominem sub motione & excitatione divina retinere potentiam non eliciendi actum,

actum, ad quem movetur & excitatur, imò & eliciendi actum contrarium, non existente motione & excitatione divina, quantumcumque hæc motio supponatur esse, ex hypothesi quòd existat, connexa cum actu, ad quem movetur.

2. Sequitur, quòd Concilii definitio sit planè insufficientis ad consulendum libero arbitrio; quòd tamen Concilium sua definitione intendit defendere contra Novatores, illud negantes. Nam voluntatem retinere sub motione & excitatione divina potestatem non eliciendi actum, ad quem movetur, imò & eliciendi actum contrarium, si motio illa abesset, stare potest cum simplici necessitate ad consensum; ut patet in voluntate beati, quæ simpliciter necessitatur ad amorem beatificum, quamvis sub visione beatifica retineat potentiam non eliciendi amorem illum, imò & eliciendi actum contrarium, si visio beatifica abesset. Ergo si Concilium non aliud definit, quàm voluntatem hominis sub motione & excitatione divina, cui re ipsa consentit, retinere potentiam non eliciendi actum, quo consentit, imò & contrarium actum eliciendi, si à motione illa divideretur; nihil planè efficit pro libero arbitrio; cum nihil efficiat pro immunitate à simplici necessitate, sine qua immunitate liberum arbitrium esse non potest, ut tenent omnes Catholici contra Novatores liberum arbitrium negantes, & idè negantes, quia ingenuè agnoscunt ad illud immunitatem à simplici necessitate requiri.

3. Sequitur, quòd Concilium sua definitione non damnarit Calvinum, quem tamen damnare voluit. Nam Calvinus nunquam negavit hominem sub motione & excitatione divina retinere potentiam non eliciendi actum, quo consentit motioni divinae, & eliciendi actum contrarium, si motio abesset, & ab ea divideretur. Imò contrarium expresse docet lib. ult. contra Pighium. *Quasi ego, inquit, substantiam voluntatis redigi in nihilum oportere, vel docuerim unquam, vel etiam somniassem.* Nam sic argumentor. Qui nunquam docuit, vel etiam somniavit substantiam voluntatis non manere sub motione & excitatione divina, ad consensum salutarem impellente efficaciter, nunquam docuit, vel etiam somniavit hominem sub motione & excitatione divina non retinere potentiam carenti actu, quo consentit motioni divinae, & habendi actum contrarium, si motio illa abesset, & ab ea divideretur. Atqui Calvinus nunquam docuit, vel etiam somniavit substantiam voluntatis non manere sub motione & excitatione divina, ad consensum salutarem efficaciter impellente. Ergo, &c.

Quid ergo docuit Calvinus? Docuit gratiam ita movere voluntatem, ut voluntas sub illa motione non habeat vim expeditam eligendi alterutrum è duobus oppositis, utpotè antecederet determinata ad alteram partem contradictionis, ut patet ex lib. 2. inst. cap. 3. ubi sic loquitur: *Voluntatem movet (gratia) non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari.* Docuit igitur voluntatem hominis sub motione divina non retinere potentiam cum illa motione componendi negationem actus, ad quem movetur. Docuit igitur voluntatem hominis, à Deo motam & excitatam efficaciter, non posse non consentire in sensu composito motionis & excitationis divinae, proindeque vel Synodus contrarium definit, vel Calvinum ne leviter quidem perstrinxit.

Dices. Si Concilium loquitur in sensu composito, definit voluntatem posse conjungere dissensum cum consensu. Atqui hoc est absurdum. Ergo, &c. Resp. neg. seq. maj. Nota. Aliud est dicere: Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, non posse dissentire, si velit, anathema sit; & aliud dicere: Si quis dixerit liberum hominis arbitrium consentiens non posse dissentire, si velit, anathema sit. Primum autem albi sine albedine, & dicendo non aliud definit, quàm liberum hominis arbitrium posse dissensum compo-

nere cum motione & excitatione divina, cui sine antecedenti necessitate consentiendi consentit, quia vult, & cui proinde non dissentiret, sed dissentiret, si vellet. Quæ ita plana sunt, ut mirum sit illis contradicere posse. Sed

Probatur & declaratur ampliùs bonitas nostræ responsionis ex cap. 5. l. 1. ejusd. ubi Synodus docet hominem abicere posse motionem divinam, quacum bonum re ipsa operatur. Nam sic argumentor. Ex Concilio, homo potest abicere motionem divinam. Ergo potest eam vel excutere, vel cassam & inutilem reddere: hæc enim vox, *abicere*, nullum alium probabilem sensum habere potest. Atqui primum dici non potest: nam, ut certum & indubitatum est, motio divina neque in fieri neque in conservari pendet à libera cooperatione voluntatis. Ergo secundum dicendum est. Ergo ex Concilio, homo posset, si vellet, conjungere dissensum cum motione divina: quid enim aliud esse potest, cassam & inutilem reddere motionem divinam, quàm illi actu præsentem & existentem non consentire, & cum ea actu præsentem & existentem dissensum componere? Ergo Synodus loquitur in sensu composito, non in sensu diviso, cum ait: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, &c.* Hic enim canon manifestè respondet capiti 5.

Dices. Si Concilium Trident. aut Senonense nobis objiciantur, non aliter respondebimus, quàm prædeterminantes, & tamen putabimus nos satisfacere difficultati propositæ. Ergo etiam satisfaciunt prædeterminantes. Resp. Esto ant. Neg. consequ. Nam in duabus hypothesibus, quæ pugnant inter se è diametro, eadem quantum ad verba responsiones in una veræ, & in altera falsæ esse possunt, Quod ostendi facile potest.

Itaque si objiciatur mihi, hominem non posse conjungere dissensum cum motione efficaci, proindeque falsum esse quòd homo possit motioni efficaci resistere, si velit, R. hominem non posse quidem conjungere dissensum cum motione efficaci, ut efficax est; sed posse conjungere dissensum cum motione efficaci, ut ens est, seu, quod idem est, posse conjungere dissensum cum entitate motionis efficaciæ, quamvis non possit conjungere cum ejus efficaciæ. Quæ responsio vera est in mea hypothesi; quia potentia illa conjungendi dissensum cum entitate motionis efficaciæ, est in mea hypothesi vera & realis potentia, utpotè verè reducibilis ad actum, quamvis cerò & infallibiliter non reducenda. Est autem verè reducibilis ad actum, quia in mea hypothesi motio efficax nec per se, nec per aliud est essentialiter connexa cum consensu, & ita nec per se, nec per aliud à se removeret essentialiter dissensum.

Quòd si infestis sic: Entitas gratiæ est essentialiter connexa cum consensu per suam efficaciam, Resp. neg. Quæ responsio est vera in mea hypothesi, in qua efficaciam non est essentialis entitatis gratiæ, sed accidentalis, & ab ea separabilis. Unde fit ut entitas gratiæ non habeat nisi accidentalem & impedibilem connexionem cum consensu.

Quòd si adhuc urgeas in hunc modum: Voluntas non potest impedire efficaciam motionis divinae, R. neg. Vel etiam, si vis, respondebo cum distinctione, utendo ipsiusmodi adversariorum verbis, non posse quidem potentia consequente, futuritionis, conjuncta cum actu; sed posse potentia antecedente, possibilitatis, & ab actu divisa. Et hæc responsio erit vera in mea hypothesi, quia in mea hypothesi potentia illa antecedens impediendi efficaciam motionis divinae, est vera & realis potentia, utpotè verè reducibilis ad actum, quamvis infallibiliter non reducatur. Est autem secundum me verè reducibilis ad actum, quia secundum me, motio efficax non est talis essentialiter, sed accidentaliter tantum. Unde tam existere potest entitas efficaciæ motionis sine efficaciæ, quàm potest existere entitas parietis albi sine albedine, & tam verè impediri potest, ne motio sit efficax, quàm verè impediri potest, ne paries sit albus.

Nota.

Nota. In nostra hypothesi, motio divina, qua voluntas hominis ad actum salutarem efficaciter movetur, est ex natura sua repudiabilis; & ita considerata etiam secundum omnia sua intrinseca, nec habet, nec habere potest, nisi contingentem connexionem cum actu salutari, ad quem movet, & quocum proinde non est infallibiliter connexa, nisi prout subest scientia infallibili, qua Deus prænovit voluntatem hominis, si tali modo tangatur & moveatur, Deo tangenti & moventi consenturam esse sic, ut posset non consentire, si vellet. Unde non est efficax, nisi prout subest scientia infallibili, qua Deus, &c. atque ita sic est efficax, ut possit à voluntate hominis impediri ejus efficacia. Hinc voluntas hominis, in nostra hypothesi, etiam efficaciter mota & excitata à Deo, potest cum entitate motionis divinæ conjungere negationem actus salutaris, ad quem movetur. Hinc in nostra hypothesi, verè & propriè potest homo abjicere motionem divinam, resistere motui divinæ, dissentire, si velit, motui divinæ, cui consentit absque ulla antecedenti ad consensum alligatione.

At verò in hypothesi Prædeterminantium, motio divina efficax est intrinsecè, & ex natura sua irrepu-diabilis, & ita est essentialiter connexa cum actu, ad quem movet, proindeque essentialiter efficax. Unde ejus efficacia non magis potest impediri, quam mutari & corrumpi possunt rerum essentia; quod tamen est absolute impossibile. Hinc in hypothesi Prædeterminantium, voluntas hominis nullatenus impedire potest efficaciam motionis divinæ, & ita nullatenus potest cum entitate motionis divinæ conjungere negationem actus, ad quem efficaciter movetur; sicque in nullo vero & proprio sensu potest abjicere motionem divinam, resistere motui divinæ, dissentire, si velit, motui divinæ, cui consentit, utpotè saltem natura prius, quam consentiat, antecedenter ad consensum obligata per motionis divinæ intrinsecam & essentialem irrepu-diabilitatem.

ARTICULUS II.

Utrum S. Thomas senserit voluntatem à Deo physice prædeterminari ad actus liberos, & capaces meriti & demeriti.

RESPONSIO.

Non ita sensit.
Prob. Ex commentar. in 2. Sent. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 3. ubi responder in hunc modum: *Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem: unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti.* Quibus verbis S. Thomas docet, 1. Deum operari in omnibus causis creatis secundum earum conditionem & exigentiam. 2. Et ita Deum non solum ministrare virtutem agendi causis necessariis, sed etiam eas determinare ad talem actionem; libero verò hominis arbitrio ministrare quidem virtutem agendi, atque in illo operari ut agat, at non illud determinare ad talem actionem, sed hanc determinationem in illius potestate relinquere. 3. Et idcirco liberum arbitrium retinere dominium sui actus, quamvis non agat, nisi dependenter à Deo, non solum ministrante virtutem agendi, sed etiam in ipso operante natura prius, quam agat. Unde sequitur tantum, quod non talè actuum suorum dominium habeat, quale habet causa prima, quæ se ipsa determinat ad agendum, & agit independentè à quavis alia causa, virtutem agendi ministrante, aut in ipsa, natura prius, quam operetur, operante.

2. S. Thomas in eundem librum Sentent. dist. 39.

quæst. 1. art. 1. in O. *Aliquis actus est ab aliquo dupliciter, uno modo tam secundum substantiam actus, quam secundum determinationem agentis ad actum, & hoc propriè in potestate agentis esse dicitur, ut est in voluntate. Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinatè exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Ex S. Doctore, illud in genere dicitur esse in potestate agentis, quod est ab agente non solum quantum ad substantiam, sed etiam quantum ad determinationem; & ita eatenus actus voluntatis sunt in ejus potestate, quatenus sunt ab ea non solum quoad substantiam, sed etiam quoad determinationem, hoc est, non præcisè quia producit illos, sed quia producit illos ex propria determinatione. Item voluntas est activè indifferens ad plura, proindeque vim habet se ipsam determinandi ad alterutrum ex oppositis: unde determinatè exit in hunc actum potius quam in illum, non quia ab alio agente determinatur, sed quia se ipsa determinat. Potuine clariùs excludi prædeterminatio physica?

Nec juvat adversarios id, quod dicunt, S. Doctorem hic excludere determinationem voluntatis, quæ sit ab alio agente creato, non determinationem, quæ sit à Deo. Nam 1. S. Doctor loquitur generaliter, ac proinde non solum excludit determinationem, quæ sit ab agente creato; sed etiam determinationem, quæ sit à Deo. 2. Juxta S. Doctorem, quod voluntas determinatè exeat in hunc actum potius quam in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate; quia voluntas habet indifferentiam activam, & vim se ipsam determinandi. Sed hæc ratio tam valet ad excludendam determinationem, quæ sit à Deo, quam determinationem, quæ sit ab alio agente creato. 3. Hoc, quod voluntas determinatè exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate, dicit S. Doctor, ut probet actus voluntatis esse in ejus potestate; quæ non est efficax, nisi excludat omnem omnino determinationem, quæ sit ab agente extrinseco, sive increato sive creato. Imò debet potius excludere determinationem, quæ sit ab agente increato, quam determinationem, quæ sit ab agente creato. Cum enim actio agentis increati longè efficacior sit, quam actio agentis creati, determinatio, quæ esset ab agente increato, longè magis ligaret voluntatem, quam determinatio, quæ esset ab agente creato, & ita actus longè minùs esset in potestate voluntatis sub prima determinatione, quam sub secunda. 4. Denique S. Thomas vult ostendere actum malum, elicitem à voluntate, ipsi merito imputari ad culpam; nam sic concludit hoc loco: *Unde si aliquis defectus sit in actu ejus, ipsi voluntati in culpam & peccatum imputatur.* Atqui ad hoc requiritur, ut S. Doctor excludat omnem antecedentem determinationem intrinsecam ad unum. Nam si voluntati non imputaretur ad culpam actus malus, productus ab ea ex determinatione profecta ab agente creato, quare imputaretur productus ab ea ex determinatione profecta ab agente increato? Certè in secundo casu non minùs ageret ex antecedenti obligatione ad alteram partem contradictionis, quam in primo. Quod si supponatur S. Doctor excludere à voluntate malum agente omnem antecedentem determinationem intrinsecam, undecumque proficiatur; jam res plana est, & faciliè intelligitur voluntati actum malum merito ad culpam & pœnam imputari.

3. S. Thomas sic ait in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. ad 1. *Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quæ ei subsunt, & hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur. Non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ei ab alio determinata: & idèd voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi. Potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet.*

Hic

Hic locus nullum tergiversationi locum relinquit. Nam juxta S. Doctorem. 1. Voluntas non se habet ad opposita, & consequenter non est libera libertate arbitrii, nisi in his, quæ sunt in ejus potestate; & ea tantum sunt in ejus potestate, in quibus se ipsa determinat; ac proinde ea, in quibus ab alio agente extrinseco determinatur, non sunt in illius potestate. 2. Et ita non se habet ad opposita in iis, in quibus determinatur à Deo; sed in illis tantum, in quibus non ex divina impressione, sed ex propria electione determinatur. 3. Et sic non se habet ad opposita circa finem ultimum, quia non à se ipsa, sed à Deo determinatur ad appetitionem finis ultimi: è contra verò se habet ad opposita circa media ad finem ultimum, quia non à Deo, sed à se ipsa determinatur ad assumendum unum medium potius quam aliud. Unde vis electiva voluntati competit, non circa finem ultimum, sed circa media; quia vis electiva ipsi competere non potest in iis, in quibus determinatur ex impressione divina; sed in iis tantum, in quibus se ipsa determinat.

Nota obiter. Apud S. Doctorem determinatio perfecta à Deo, & determinatio perfecta ab ipsa voluntate, inter se opponuntur, & una necessariò excludit alteram. Unde voluntas non se determinat circa finem ultimum, quia circa finem ultimum determinatur à Deo; & quia non determinatur à Deo circa media, circa media se ipsa determinat. Quòd si etiam circa media determinaretur à Deo, non magis se ipsa determinaret, aut determinare posset circa media, quam circa finem ultimum. Hinc voluntas à Deo ita prædeterminata ad aliquem actum, ut ad eundem actum se ipsa determinet, chymara est in principiis Angelici Doctoris.

4. S. Thomas Quodlibet. 1. art. 7. ad 2. sic ait: *Deus movet omnia secundum modum eorum, & ideo divina motio à quibusdam participatur cum necessitate; à natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Igitur juxta S. Thomam, distinguenda est duplex motio divina, una scilicet talis, ut non possit ei resisti; altera verò talis, ut ei resisti possit. Prima determinat ad unum, secunda non determinat. Unde prima antecederet obligat ad alteram partem contradictionis, secunda verò non obligat, & sic prima necessitat, secunda verò non necessitat. Prima utitur Deus in movendis causis necessariis; quia quantum est ex se, sunt ad unum determinatæ: secunda verò in movendis causis liberis; quia, quantum est ex se, non sunt ad unum potius quam ad aliud oppositorum determinatæ; & ita fit, ut Deus moveat causas omnes secundum modum & exigentiam earum.

Sed ex his adhuc argumentor sic. Ex S. Thomæ Deus ita movet voluntatem ad actum liberum, ut voluntas possit huic motioni resistere. Sed voluntatem posse resistere motioni divinæ, est voluntatem posse conjungere cum motione divina negationem actus, ad quem movetur, ut satis superque ostensum est superius. Ergo ex S. Thomæ Deus ita movet voluntatem ad actum liberum, ut voluntas possit cum hac motione conjungere negationem actus, ad quem movetur. Ergo ex S. Thomæ Deus non ita movet voluntatem ad actum liberum, ut voluntatem motam, simpliciter repugnet non elicere actum, ad quem movetur: nam voluntas sic mota non posset cum motione conjungere negationem actus, ad quem movetur. Ergo ex S. Thomæ Deus non ita movet voluntatem ad actum liberum, ut eam ad illum physicè determinet, seu prædeterminet: nam secundum Prædeterminantes, physica determinatio seu prædeterminatio, est motio talis, ut ea posita, simpliciter repugnet voluntatem non elicere actum, ad quem movetur.

5. S. Thomas quæst. 3. de potentia art. 7. ad 13. sic loquitur: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem cause primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate*

ad unum determinet, sicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis & voluntatis. Idem docet 1. 2. quæst. 10. art. 4. in O. *Ad providentiam, inquit, divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare ... Quia igitur voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens & non necessarius, nisi in his, ad que naturaliter movetur.* Quibus locis apertè excluditur à voluntate physica prædeterminatio quantum ad actus liberos: nam juxta S. Doctorem, Deus sic agit in voluntate, & eam movet ad actus liberos, ut non eam necessitet ad unum determinando, vel ut non eam determinet necessitando: nam apud S. Doctorem necessitate & ad unum determinare, vel ut etiam loquitur, ad alteram partem contradictionis obligare, inter se convertuntur.

Quod autem dicunt adversarii, S. Thomam his locis apertè innuere distinctionem duplicis determinationis ad unum, quarum una necessitet, altera non necessitet, nullam habet verisimilitudinem. Quid enim aliud esse potest necessitas, quam antecedens ad unum determinatio, seu antecedens ad alteram contradictionis partem obligatio? Quare bruta agunt semper necessitate, nisi quia semper agunt ex antecedenti ad unum determinatione? Quare homo quandoque vult ex necessitate, quandoque non, nisi quia quandoque vult ex antecedenti ad alteram contradictionis partem obligatione, quandoque non vult ex antecedenti ad alteram contradictionis partem obligatione, sed ex propria determinatione?

Præterea, demus antecedentem ad unum determinationem aliam esse necessitantem, aliam verò non; certè si quæ est necessitas, maxime illa, quam causat physica prædeterminatio, quæ essentialiter connexa est cum actu, ad quem prædeterminatur voluntas; ita ut, ea posita, tam repugnet voluntatem actum non exercere, quam repugnat idem simul esse & non esse. Unde possibile non est voluntatem magis obligari antecedenter ad alteram contradictionis partem, quam obligatur per physicam prædeterminationem. Nec dic Deum prædeterminationem physicam voluntati attemperare secundum ejus exigentiam: Deus enim non magis potest eam attemperare voluntati secundum voluntatis exigentiam, quam potest mutare ejus naturam & essentiam. Deus igitur non physicam prædeterminationem, sed motionem suam attemperat voluntati secundum ejus exigentiam; & idcirco sic movet eam, ut non eam prædeterminet.

At inquit. Physica prædeterminatio est qualitas fluens & transiens. R. Inde tantum sequi, quòd voluntas physicè prædeterminata agat ex necessitate fluenti & transeunti. At voluntas agens ex necessitate fluenti & transeunti, non magis agit liberè, quam si ageret ex necessitate permanenti. Præterea, cum secundum adversarios voluntas ad omnes actus suos indigeat physica prædeterminatione, ex doctrina adversariorum sequitur, voluntatem nunquam agere sine fluenti & transeunti necessitate ad agendum. Voluntas autem semper agens cum fluenti & transeunti ad agendum necessitate, perinde se habet in affirmatione morali, ac si quantum ad omnes actus suos subiaceret permanenti necessitati.

Obj. Juxta S. Thomam, Deus physicè præmover voluntatem etiam ad actus liberos. Ergo physicè prædeterminat. R. neg. conseq. Non enim valet: Deus physicè præmover: Ergo physicè præmover tali modo. Physicè autem prædeterminare, non est præcisè physicè præmovere, sed physicè præmovere tali modo. Unde physicè præmovere, latius patet, quam physicè prædeterminare; & primum se habet ad secundum, sicut superius ad inferius, & sicut genus ad speciem. Non valet autem à superiori ad inferius, à genere ad speciem per affirmationem, sed per negationem tantum, ut docent Summulistæ. Observandum tamen est, S. Doctorem, nomine præmotionis,

tionis, seu; quod idem est, motionis, quandoque physicam prædeterminationem, seu determinationem ad unum intelligere, ut cum 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. dicit Deum, tanquam universalem motorem, movere voluntatem hominis ad universale objectum voluntatis, quod est bonum in genere, atque interdum eandem hominis voluntatem movere specialiter ad volendum aliquod bonum particulare. Hic enim manifestè loquitur S. Doctor de motione physica, non qualibet, sed quæ sit antecedens ad unum determinatio: alioqui, juxta S. Doctorem, Deus non præmoveret physicè voluntatem hominis ad omnes actus suos. Quod est contra mentem S. Doctoris, ut modò videbitur.

ARTICULUS III.

Utrum S. Thomas docuerit, Deum physicè præmovere causas necessarias ad agendum, & an idem de causis liberis docuerit.

RESPONSIO.

DEum physicè præmovere omnes causas tam liberas quam necessarias ad omnes actus suos, docuit S. Thomas.

Prob. Ex quest. 3. de potentia art. 7. in O. ubi sic loquitur S. Doctor: *Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni.* Hanc autem applicationem diversam esse à productione & conservatione virtutis agendi, disertè asserit eodem loco. Præterea, eodem loco manifestè significat se, non de morali, sed de physica applicatione loqui; utitur enim exemplo hominis applicantis cultellum ad incidendum; quæ applicatio physica est. Atqui applicatio physica ad actionem est physica præmotio. Ergo juxta S. Thomam, &c.

Obj. 1. Ad actionem naturalem sufficit virtus naturalis, indita causæ secundæ. *Resp.* cum S. Doctore art. citato ad 1. ad actionem naturalem sufficere in ordine suo virtutem causæ secundæ, at non sufficere simpliciter: quia de ratione causæ inferioris est, ut non agat, nisi mota à causâ superiore, quæ idcirco dicitur causâ primâ actionis causæ inferioris.

Obj. 2. Si Deus præmoveret creaturas ad operationem suam, vel Deus & creatura una & eadem operatione operantur, vel non. Neutrum dici potest, Ergo, &c. *Resp.* cum S. Thoma eodem art. ad 3. & 4. actionem, qua creatura præmoveretur à Deo, à Deo solo esse, & nullo modo à creatura: ipsam verò operationem creaturæ à Deo præmotam, esse à Deo simul & à creatura; à Deo quidem ut causâ primâ, à creatura verò ut causâ secundâ: sicut actio, qua causâ principalis applicat instrumentum ad operandum, est à sola causâ principali; ipsa verò operatio instrumenti simul est à causâ principali, & instrumento; à causâ principali quidem, ut causâ superiore; & ab instrumento, ut causâ inferiore, & subordinata causæ principali.

Dices. Non potest eadem operatio simul esse à duabus causis immediatè. *Resp.* Eandem operationem posse immediatè esse à duabus causis etiam totalibus, inter se ordinatis secundum prius & posterius, quarum scilicet una est superior & subalternans, altera verò inferior & subalternata, una movens & applicans, altera verò mota & applicata, ut patet in operatione instrumenti.

Obj. 3. Deus potuit condere creaturam cum virtute sufficiente ad operandum, independentem ab omni alia causâ præmovenente & applicante ad operationem. *Resp.* neg. Nam de ratione omnis virtutis creatæ est, ut se habeat ad virtutem increatam, tanquam virtus inferior ad superiorem: omnis enim virtus creatæ in agendo essentialiter subordinatur virtuti divinæ. At de ratione virtutis inferioris est, ut agat tanquam instrumentum virtutis superioris: ita ut exclusâ actione virtutis superioris moventis & applicantis inferioris virtutem, inferior virtus nec habeat, nec habere

possit operationem. Ergo de ratione omnis virtutis creatæ est, ut agat tanquam instrumentum virtutis increatæ: ita ut exclusâ actione virtutis increatæ moventis & applicantis virtutem creatam, virtus creatæ nec operetur, nec operari possit. Ita respondet S. Thomas eodem art. ad 5.

Obj. 4. Si Deus præmoveret creaturam, creatura nihil operatur. Nam si Deus præmoveret creaturam, sufficienter operatur. Deo autem sufficienter operante, superfluum esset ponere operationem creaturæ. *Resp.* neg. seq. *Ad prob.* *Resp.* Deum, præmovendo creaturam, sufficienter operari in ratione causæ primæ & principalis, seu in ratione præmovenentis & applicantis. Unde sequitur, quod præter Deum non requiratur alia causâ præmovens & applicans creaturam ad operandum, non verò quod creatura nihil operetur sub motione & applicatione divina: imò cum operatio creaturæ sit à Deo ut causâ primâ, necesse est illam esse à creatura ut causâ secundâ: nam causâ primâ & causâ secundâ, sicut causâ principalis & causâ instrumentalis, sunt correlativæ. Vide S. Thomam eod. art. ad 16.

Obj. 5. Eccles. 15. dicitur, quod Deus fecit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Ergo falsum est, quod physicè præmoveat voluntatem ejus. *Resp.* neg. conseq. Nam Deus dicitur reliquisse hominem in manu consilii sui, non quia voluntatem ejus non præmoveret physicè ad actus suos, sed quia voluntati ejus relinquit dominium actuum suorum: relinquit autem, eam ita præmovendo, ut non obliget ad alteram partem contradictionis. Unde voluntas sub præmotione divina retinet activam indifferentiam ad utrumlibet oppositorum expeditam. Vide S. Doctorem eod. art. ad 12.

Obj. 6. Si Deus præmoveret voluntatem, & ita si Deus est causâ primâ operationis voluntatis, voluntas verò causâ secundâ tantum, defectus, qui accidunt in operatione voluntatis, debent magis tribui Deo, quam voluntati: nam causâ primâ plus influit in causatum, quam causâ secundâ. *Resp.* neg. seq. *Ad ejus prob.* R. Ex ea sequi tantum, quod quidquid perfectionis est in causato, sit principaliter attribuendum causæ primæ, quam causæ secundæ, & consequenter quod quidquid perfectionis est in operatione voluntatis, magis attribuendum sit Deo, quam voluntati. Quod si quem defectum habet voluntatis operatio, totus attribui debet voluntati, quæ si Deum in operando imitaretur, & tam perfectè ageret in suo ordine, quam Deus in suo, omnis navè expert operatio ejus existeret. Vide S. Doctorem art. eod. ad 15.

ARTICULUS IV.

Quomodo, juxta S. Thomam, Deus physicè præmoveat causas tam liberas quam necessarias, ad operationes suas.

RESPONSIO I.

Sic Deus, juxta S. Thomam, physicè præmoveret causas necessarias ad agendum, ut eas ad unum physicè prædeterminet.

Prob. Ex commentar. in 2. Sent. dist. 25. quest. 1. art. 1. ad 3. ubi sic ait S. Doctor: *Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem: unde in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem.* Idem docet pluribus aliis locis. Ratio autem ejus est, ut patet ex verbis citatis, quia Deus præmoveret omnia secundum eorum conditionem & exigentiam. Unde cum causæ necessarie exigant ad unum determinari à causâ præmovenente & applicante eas ad agendum, quia habent virtutem agendi, quantum est ex se, ad unum determinatam; Deus sic eas ad agendum præmoveret & applicat, ut ad unum prædeterminet.

Obj. Causâ necessaria est ex se ad unum determinata,

nata, & positis omnibus ad agendum prærequisitis, necessariò operatur. Ergo frustrà ulteriùs requiritur actio causæ superioris, qua causæ necessaria ad agendum necessitetur, & ad unum determinetur. *Resp.* Causam necessariam ex se ad unum determinatam esse incompletè & inchoatè tantum: unde ut habeat completam & integram necessitatem & determinationem ad agendum, requirit actionem causæ primæ, qua secundum modum & conditionem suam moveatur & applicetur ad operationem, & qua proinde compleatur ejus necessitas & determinatio. Sic respondet S. Doctor quæst. 3. de potentia art. 7. ad 8. *Necessitas*, inquit, *natura*, per quam calor agit, constituitur ex ordine omnium causarum precedentium. Unde non excluditur virtus causæ primæ, hoc est virtus causæ præmoven- & applicantis ad unum,

RESPONSIO II.

Juxta S. Thomam, Deus sic præmoveret physicè voluntatem ad agendum ut natura est, ut eam physicè prædeterminet ad unum.

Prob. Juxta S. Thomam, Deus ita præmoveret causas necessarias ad agendum, ut eas ad unum prædeterminet, (ex resp. 1.) Atqui juxta eundem, & rei veritatem, voluntas, cum agit ut natura, agit ut causæ necessaria, & quantum est ex se, ad unum determinata. Ergo, &c. Hinc Deus, juxta S. Thomam, voluntatem ita moveret ad actum, quo vult finem, propter quem operatur, ut eam ad actum illum determinet & necessitet; quia actum illum elicit ut natura est, & causæ, quantum est ex se, ad unum determinata; non verò ut est facultas electiva, ac proinde ad opposita activè indifferens: quæ talis enim, non agit, nisi ex prævia deliberatione, quæ supponit volitionem efficacem finis: nam prius efficaciter volumus finem aliquem, quam deliberamus; nec deliberamus de fine, sed de mediis, ad assequendum finem, prius volitum, idoneis. Vide quæst. 6. de elect. art. unico in O. & 1. 2. qu. 2. art. 4. in O.

Similiter Deus ita præmoveret voluntatem ad omnes alios actus indeliberatos, ut eam determinet ad unum; voluntas enim in illos erumpit ut est natura quædam, & potentia ad unum, quantum ex se est, determinata. Talis est v. gr. actus, quo volumus intelligere, quo volumus vivere, quo volumus esse felices; quo ita bono adheremus, ut nihil vellemus sub ratione mali præcisè, &c. Tales sunt actus supernaturales, quibus Deus voluntatem nostram excitat ad faciendum bonum, vel ad malum vitandum utiliter ad salutem. Tales etiam sunt motus primò primi voluntatis materialiter mali, quorum tamen malitia materialis non potest reduci in Deum, sed in solam voluntatis defectibilitatem & indispositionem reducenda est. Nam Deus voluntatem ad ejusmodi actus non determinat ut motor specialis, sed ut motor universalis, neque ex speciali affectu circa illos, sed ex generali intentione fungendi officio motoris universalis, cum vera displicentia, & quia voluntas in talibus circumstantiis exigit operari, & sic operari ut natura quædam, ad talem actionem, quantum est ex se, determinata.

Porro sic Deus voluntatem determinat ad primam productionem actuum indeliberatorum, ut non determinet ad continuationem, nisi quandiu perseverat cognitio, ex qua fiunt. Hinc homo sic non potest non velle beatitudinem, quandiu de illa cogitat, ut possit ab illo actu cessare, aliò mentem avertendo, & à beatitudinis cogitatione cessando. Hinc sic amamus necessariò objectum aliquod, quia nobis proponitur sub ratione boni tantum, ut desinamus illud amare necessariò, ubi primum incipit nobis apparere partim sub ratione boni, partim sub ratione mali; quia tunc Deus desinit voluntatem nostram ad unum determinare: tunc enim voluntas desinit agere ut natura, & potentia, quantum ex se est, ad unum determinata: nam sub judicio objectum indifferenter proponente voluntas exigit agere,

& agit ut virtus ad opposita activè indifferens. Quod ut adhuc melius intelligatur, sit

RESPONSIO III.

Juxta S. Thomam, Deus physicè præmoveret voluntatem ad agendum, ut est facultas electiva, & activè indifferens ad opposita, non eam determinat ad unum; sed è contra ita præmoveret eam, ut in ejus potestate relinqueret determinationem actus.

Veritas hujus responsionis patet ex locis citatis art. 2. Ratio autem est, juxta S. Doctorem, ut ex iisdem locis manifestum est, quia 1. voluntas, ut est facultas electiva, & activè indifferens ad opposita, physicè præmoveretur à Deo secundum conditionem & exigentiam virtutis electivæ, & ad opposita activè indifferens. At contra conditionem & exigentiam talis virtutis est, quod ad alteram partem contradictionis antecederet obligetur, seu quod antecederet ad unum determinetur. Nam ubi est determinatio ad unum, ibi locum habere non potest electio, nec indifferentia activa exerceri potest. Ergo, &c. 2. Voluntas, ut est facultas electiva, habet dominium actuum suorum, & eatenus habet, quatenus potest de illis pro arbitrio disponere. At voluntas, antecederet ad unum determinata, & ita antecederet obligata ad alteram partem contradictionis, non posset pro arbitrio de actibus suis disponere. Ergo voluntas, ut est facultas electiva, sic à Deo præmoveretur, ut non determinetur ad unum, sed è contra in ejus arbitrio reliqueretur determinatio ad actum.

ARTICULUS V.

In quo, juxta S. Thomam, consistat præmotio physica, & qui sint ejus effectus.

RESPONSIO I.

Juxta S. Thomam, id, quo Deus physicè præmoveret causas omnes ad agendum, est ens quoddam diminutum, imperfectum, & transiens, quod Deus producit in creatura independentem ab ea, secundum modum & conditionem ejus.

Prob. Et 1. quidem quod sit ens quoddam diminutum, incompletum & transiens, expressè docet S. Thomas quæst. 3. de potentia art. 7. ad 7. ubi sic ait: *Virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quædam forma, habens esse ratum & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali, quod actualiter agit, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis.* Porro præmotio physica dicitur ens diminutum & imperfectum, à S. Doctore, non propter virtutis imbecillitatem, nam est aliquid valde actuosum; sed quia longè magis deficit à stabilitate substantiæ, quam accidens physicum, quod, quamvis non possit per se subsistere, ut substantia potest; non tamen ad existendum indiget continuo influxu causæ secundæ, à qua productum est.

2. Præmotio physica dicitur à S. Doctore ens transiens, quia non exigit esse, nisi quando & quandiu causæ secundæ exigit compleri ad agendum: cum è contra virtus agendi, causæ creatæ indita, perseveret in esse, quia in esse perseverat causæ creatæ; unde dicitur habere in causâ creatâ esse fixum & ratum. 3. Quod producat à Deo in creatura independentem ab ea, patet ex eo, quod producat à Deo saltem natura prius, quam creatura agat, imò quàm habeat potentiam agendi completam & integram. 4. Denique, quod producat à Deo in creatura qualibet secundum modum & conditionem ejus, passim inculcat S. Doctor, & evidens ratio suadet: producit enim à Deo, ut motore & providore universali, ad cuius providentiam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 4. in O.

Quod

Quod si quis objiciat, hoc ens diminutum, in quo physicam pramotionem constituit [S. Doctor, non plus habere realitatis, quam qualitates illae intentionales, quibus comparatur, quae olim dicebantur ab objectis per medium diffundi, & quae nunc, ut planè inutiles & improbables, communiter exploduntur; Respondebo liberum esse Modistis, constituere physicam pramotionem in entitate modali, qualis est actio realiter distincta, quam admittunt: Antimodistas verò posse illam constituere in puro statu causae creatae, ita ut creaturam esse à Deo moram, non plus dicat supra entitatem creaturæ, quam corpus moveri vel esse in quiete, dicat supra entitatem corporis. Motus autem vel quies supra entitatem corporis non dicit, nisi purum statum secundum veriorum sententiam.

RESPONSIO II.

Entis illius incompleti, quo Deus, juxta S. Thomam, physicè pramovet causas necessarias ad agendum, effectus est, complere antecedentem ad unum determinationem, & agendi necessitatem, quam habent causae necessariae.

Prob. Nam, ut docet S. Thomas, Deus physicè pramovet causas necessarias secundum modum & conditionem earum. Atqui eatenus intelligitur, illas pramovere secundum modum & conditionem earum; quatenus intelligitur complere antecedentem ad unum determinationem & agendi necessitatem, quam habent. Præterea, Deus causas necessarias physicè pramovet per illud ens, quo præcisè posito, causae necessariae agunt, & ita agunt, ut non possint non agere; quo præcisè sublato, causae necessariae nec agunt, nec agere possunt. Atqui tale est illud ens, cujus effectus est, complere antecedentem ad unum determinationem & agendi necessitatem, quam habent causae necessariae. Ergo Deus re ipsa pramovet causas necessarias per ens, cujus effectus est, antecedentem ad unum determinationem & agendi necessitatem, quam habent, complere. Ergo, quod idem est, entis illius incompleti, &c.

RESPONSIO III.

Entis illius incompleti, quo Deus, juxta S. Thomam, physicè pramovet causas liberas ad agendum, effectus est, complere activam indifferentiam, quam habent ad opposita.

Prob. Nam Deus, juxta S. Thomam, physicè pramovet ad agendum causas liberas secundum modum & conditionem earum. Atqui non aliter intelligi potest illas ad agendum pramovere secundum modum & conditionem earum, nisi præcisè complendo, & veluti ad opus accingendo activam indifferentiam, quam habent ad opposita, ita ut posito hoc complemento, possint pro arbitrio hoc agere vel non agere, hoc vel illud agere, & sublato, non possint; eo quod omnis virtus creata, ad hoc ut se in actum exerat, essentialiter exigit à primo ente intrinsecè compleri, vel, si vis, confortari & corroborari; quo proinde complemento intrinsecò destituta, manet iners, & ad agendum essentialiter insufficient. Ergo Deus re ipsa pramovet ad agendum causas liberas, præcisè complendo activam indifferentiam, quam habent ad opposita. Ergo entis illius incompleti, &c.

Ex dictis collige, 1. Pramotionem physicam in causis necessariis, ex natura sua connexam esse cum actione, ad quam pramoveantur: non enim posset aliter complere antecedentem ad unum determinationem & agendi necessitatem, quam habent. 2. Physicam pramotionem in causis liberis non sic connexam esse cum aliquo actu, ut ea posita, non possit non esse actus ille: alioquin activam voluntatis indifferentiam non compleret, sed potius corrumpere, voluntatem ad alteram partem contradictionis obligando. 3. Non solum determinationem passivam voluntatis, quæ facultas est electiva, sed etiam activam esse à Deo tanquam à causa prima, quatenus volun-

tas non se ipsa exerit in actum, nisi sub Deo in ipsa operante, & operando vim ejus electivam complemente natura prius, quam eligat & agat. 4. Voluntatem tamen, quæ facultas est electiva, non prædeterminari à Deo, quia Deus illam pramovendo, præcisè complet activam ejus indifferentiam: unde quod voluntas in hunc actum exeat potius quam in illum, ab ipsa est, non ab alio, à quo sit prædeterminata. 5. Denique malitiam formalem actus mali reducendam esse in voluntatem, ex propria determinatione deficientem à regula sua; non in Deum, qui complendo activam indifferentiam voluntatis, fungitur officio motoris universalis, nec ad unam potius quam ad alteram contradictionis partem obligat voluntatem, sed totam actus determinationem relinquit in ejus arbitrio.

DISPUTATIO VI.

De Conscientia.

ARTICULUS I.

Quid sit, & quod duplex conscientia.

R Esp. Conscientia, ut hic sumitur, est actus, quo intellectus judicat aliquid hic & nunc licitum esse vel illicitum, seu præceptum vel prohibitum, faciendum vel non faciendum. Hoc autem judicium dicitur, 1. practicum, quia versatur circa actionem in individuo, hoc est, cum omnibus suis circumstantiis consideratam, eamque immediatè dirigit. 2. Practicè practicum, hoc est, omninò practicum, ut distinguatur ab alio judicio, quod circa actionem humanam versatur magis generaliter, præcindendo scilicet à circumstantiis. Talis est actus, quo intellectus judicat parentes esse colendos, & qui solet appellari judicium speculative, seu speculative practicum; quia cum non sit de actione hic & nunc facienda, non est proxima actionis regula. Conscientia differt etiam à synderesi; hæc enim versatur circa prima morum principia, quæ conscientia applicat, dictando hoc hic & nunc faciendum vel non faciendum esse.

Conscientia dividitur, 1. in veram, & erroneam. Vera est ea, quæ dicitur hic & nunc licitum vel illicitum esse, quod revera tale est; erronea verò, quæ dicitur licitum esse vel illicitum, quod revera non est tale. Hæc subdividitur in vincibilem & invincibilem; vincibilis in affectatam & non affectatam; non affectata in supinam & non supinam; prout ignorantia, quam importat, est vincibilis vel invincibilis, affectata vel non affectata, supina seu crassa, vel non supina.

Dividitur 2. in scrupulosam, & laxam. Scrupulosa est actus, quo intellectus, ob levem aliquam rationem, & parvi aut nullius momenti, judicat aliquid hic & nunc esse præceptum vel prohibitum. Laxa è contra est ea, quæ intellectus, ob leves similiter rationes, judicat aliquid hic & nunc licitum esse, vel etiam honestum. Laxa etiam dicitur, cum homo de gravioribus tantum mortalibus virandis sollicitus est; sicut pharisaica dicitur, cum homo magna parvi & parva magni facit.

Dividitur 3. in conscientiam certam, & incertam. Conscientia certa est actus, quo intellectus firmiter judicat aliquid hic & nunc esse licitum vel illicitum: incerta verò, actus, quo intellectus positivè quidem, sed non sine oppositi formidine, judicat aliquid licitum vel illicitum esse.

Dividitur 4. in perplexam & dubiam. Perplexam est, cum quis utrumque oppositorum, quorum alterum necesse est esse, judicat esse illicitum, & peccatum, ut si quis v. gr. die festo judicet se contra charitatem peccaturum, si deferat agrum ad audiendum sacrum; vel peccaturum contra religionem, si non audiat sacram